

stram attinet, experimenta ipsi hominis creationi coæva sunt, mentis nempe operationes in unoquoque homine eædem geruntur, licet non eadem ab omnibus & a multis fere nulla attentione observentur. Quæ cum ita sint, in explicandis animæ operationibus, ipsam sensus intimi & conscientie magis, quam ratiocinationis philosophicæ auctoritatem appellandam mihi esse existimo. Porro intellectum & voluntatem consideraturus duas scilicet animæ facultates, quarum prima ad veritatem, altera autem ad virtutem fleti debet, vel nihil vel leviter attin gam quæstiones in Logica aut Ethica convenientius tradendas; suis enim locis singula tractari doctrinæ ordo postulat.

De scientia animæ *in ordine ad corpus*, sive de sensationibus fusius, quam par est disputare videntur Metaphysici nonnulli, qui prolixiorem quæ medicos magis quam metaphysicos decet, humani corporis anatomen describunt; sensationes, imaginationem, memoriam, aliaque id genus difficilima animæ corporisque arcana per spirituum animalium fibrillatumque motum generatim explicare laborant;

qui-